


ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



repulsare proxime,
e si unitis viribus ...
salute cogitat,
nuo militiam,
rorsus esse in mora.
iberi vagamini,
per tempus libet;
d Romani ficerent.

VIII.
DICTI,
ER et CONSTANS.

is venio nuncius!
rra, die ...

Multi milites
cidere subdola!
remugint, murmu-
[rant,
increpant Pontificem,
ausam et perniciem ...
os armis impellere ...
t inter milites.

ns?
m? Disparuit.
uos ante posui
egerent ut ordines?
uscitant incendium!

rum!
Sic tu sollicita,
unctas rumpe moras.

NARI, Sponsor.

GLOTTIS VATICANIS.

NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes filiae in Italia praeter 200

...

Sedes filiae apud exterias gentes:

In Gallia. - Parigi, Lione.

In Hispania. - Madrid, Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borias Blancas,
S. Coloma de Queralt, Valls.

In Helvetia. - Lugano, Chiasso.

In civitate libera Flumana. - Fiume.

In Aegypto. - Alessandria, Cairo, Porto Said, Mansourah, Mit Gamr, Tautah,
Beni Mazar, Beni Souef, Fayoum, Magagha.

In Turcarum imperio. - Costantinopoli.

In Asia minore. - Smirne, Adalia.

In Syria. - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli.

In Palaestina. - Gerusalemme, Caiffa, Giaffa.

In insula Melita. - Malta.

In Aegeo mari. - Rodi.

 *Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.* 

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina col-
loquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine
percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandium**, Milesiae
fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ
lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegu-
mento solut. lib. 3; si xylina structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticæ. - Sin-
gulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae**, Milesia fabula. - Lib. 1,50.
*(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,50 pro singulis exemplaribus).*

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15
ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.

“ALMA ROMA”

AD PEDES PII XI PONT. MAX.

Die xx superioris mensis Iulii, mihi, cui suprema commentarii huius moderatio concredita est, vehemens animi mei desiderium explere tandem est concessum, novum adeundi Pontificem eique vota et omina mea et *Almae Romae* scriptorum humiliter offerendi. Et praeter spem id evenit, nam Pius PP. XI, remotis arbitris, me in intimore salutatorio cubili humanissime exceptit, apud se sedere iussit et benevolentissimo colloquio per horam integrum et amplius detinuit.

Quum ad « Almae Romae » argumentum venimus, interrogavit me Pontifex de commentarii vita in tanto discrimine rerum. Tum ego, assumpto animo, labores enumerare, ac simul deceptiones non solum ex eventibus recentis belli profectae, - quibus factum est, primum ut commentarii fines arctius circumscripti fuerint, ac deinde ut, ex inopia et nummorum inducta vilitate, in nationibus nonnullis, iisque prae ceteris quae latinas litteras latinumque sermonem impensis colerent, a societate nostra detinerentur; - verum etiam e crescenti in dies latinitatis neglectu ubique, vel apud illos quibus maxime cordi esse deberet. Quis nostris diebus scriptor vere latinus, apud ipsa studiorum publica athenae? Praedicant hanc linguam emortuam esse et ad instar insecandi cadaveris eam pertractant; quod si eius vitam aliquando recognoscere coacti sunt

ad eamque participare, dii immortales! quantum laboris est illis impendendum, ut tandem scriptum proferant recta ipsa scribendi scientia ita... perpolitum, ut - quemadmodum hisce diebus etiam vidimus - grandibus litteris, clausulisque atque interpunctis verborum abrogatis, in sylvam illam Aligherianam miserum lectorem inician, atram, asperam imperviam...

Assentebatur comiter Pontifex, et verbis meis quasi per partes respondens, aliquantulum immoratus est in Polonorum erga latinam linguam amore, quem Ipse expertus fuerat, et in superlationibus atque traiectionibus, quae nunc in docendo nonnunquam adhibentur, quaeque discipulos, quum alias, a latine scribendo ita arcent, ut mirum profecto fiat magistro, si quis eorum ad lauream accedens, propositum sibi argumentum, quod de latinis litteris sit, latina lingua evolvat; ut Mediolani Ipsi contigit, quum Ambrosianae bibliothecae praeesset, et auctor fuit ut magnae iuvenis spei, nunc eiusdem bibliothecae scriptor, «thesim» suam, quae de Ciceronianae philosophiae fontibus erat, latine scribebat.

Pergentibus autem nobis in expositione consiliorum nostrorum et rationibus quibus efficere ea contendamus, quum sermo etiam incidisset in phrasium formularumque congeriem, quibus facilius latina colloquia institui possent, Is benevolentia summa nobis suasit ut proxime fasciculum alterum «*de officiis*» colligeremus et ederemus. Ei denique demisse offerentibus plurium sociorum supplicationes, ut latini sermonis studium apud clerum et in ipsis seminariis ad pristinum decus revocaretur: - Proposuimus iam nobis - inquit - aliquid de re perficere; brevi vos videbitis. Interim quantum in vobis est, ne de vestra via decadatis, imo vero firmiter insistite, et laborate fidenter; patrocinium praedecessorum nostrorum vobis continuabimus, cuius testis sit Apostolica benedictio, quam tibi et scriptoribus *Almae Romae* omnibus, sociis, iisque qui maxime vobis cordi sunt, peramanter impertimus.

Erit ne nobis addendum, ex hoc colloquio, de quo Patri Sanctissimo publice grates habemus et referimus, nos fortiore et erecto magis animo rediisse, ad finem illum omni vi persequendum, quem *Almae Romae* commentarium condendo nobis proposuimus?...

I. F.



De linguae latinae studio apud Seminaria

Qui humanitatis et catholicae religionis studio flagramus, commentarium hunc *Almae Romae* condentes propositum nobis imponebamus ut usum latinae illius linguae revocaremus, quae mater fuit omnibus communis, et vitae incunabula fovit cuiusque gentis, sive quas tenuit armis, aut legibus coegerit, aut litteris eruditivit; qua denique per universum orbem Christi Ecclesia etiam nunc utitur incessibili vinculo religionis. Quod si eo devenendum erit, ut tandem divini Regis Pacifici votum ad Patrem adimpleatur «ut unum sint», nonne - dicebamus - iustum est et sanctum, ut iugi eadem voce mater adloquatur filios, quave in dies magis patent fines humanitatis eos pia comitetur, iisque alacris antecedat? Antecedat nimur, ne a recta unquam semita aberrent; comitetur, ne materni studii unquam obliviscantur, neve, si a mutuo amore aliquando discesserint, nimium odia durent; sed, communis naturae memores, quo animi componantur, unaque et sacra suavique lege compulsi, unam cognoscant omnes parentem, itemque unum Patrem adorent.

Ceterum sermonis unius universalis necessitas aliunde etiam animadvertere licet: et ex contentionibus, quibus populi latius per orbem diffusi conati sunt suum ceteris sermonem imponere, in quo civilis seu «politica» ratio in iis facile inveniri etiam potest, et in labore illo novas condendi linguis, quae multiplicibus decoratae nominibus, nostris diebus campum tenent et inter se digladiantur; Sisypheo quidem nisu: quae enim natura sponte non dedit, frustra nos artificio imponamus!... Latina lingua ex adverso, nunquam mortua sed immortalitati tradita,

per saecula mansit, eaque amplissima semper, dives, mobilis, praestans, vel ad ea quae de hodiernae vitae usu recentibusque inventis sunt exprimenda, eiusque vita in litteris, artibus, in civilibus ipsis rebus patefacta est, et adhuc profertur.

Eius autem palladium tempora extiterunt, ubi Christiana sapientia custoditur, ubi Latino, imo Romano ritu iugiter sacra fiunt, Romano more Deus adoratur. Itaque cum summo animi moerore non semel, quin etiam saepius, conquesti sumus, quod, si alias, tum maxime illic, ubi Christi sacerdotes in spem Ecclesiae crescunt, scilicet in Seminariis, latinus sermo parvi hodie vulgo penderetur; iamque a primis commentarii nostri paginis, Pii X Pont. Maximi mortem lugentes et eiusdem in latinum sermonem curam et sollicitudinem commemorantes, litteras repetebamus, quae de re per Sacram Studiorum Romanam Congregationem anno MDCCCVIII, Ipse tradebat: - «Vehementer sane dolemus - ita in illis - quod accepimus linguam latinam in quibusdam Seminariis ita negligi, ut a disciplinis non solum Philosophiae et Iuris Canonici, sed etiam ab ipsa universa Theologia remota esse videatur. Quod discipulis, iis praesertim qui subtiliori et exquisitiori ratione in magnis Lyceis ad has disciplinas animum applicaturi sunt, maximum affert detrimentum». Cuius quidem mali avertendi rationes demonstrans, addebat: «Illud in primis, quod maximi momenti et ponderis est, notari atque animadvertri volumus, linguam latinam iure meritoque dici et esse linguam Ecclesiae propriam. Et profecto hac lingua, si quando necessitas exigat, Sacerdotes disiunctarum diversarumque civitatum colloqui et scribere inter se solent ad sensa mentis pandenda, quae aliter inter se pandere non possent. Hac lingua, in quam sacri libri veteris novique Testamenti versi sunt, Clerus canonicas recitat precatioes, Sacrum facit omnesque sacros ritus et cae-

remonias, quas Liturgia praescribit, exsequitur. Quin etiam hac lingua Summus Pontifex et sacra Concilia Ecclesiae negotiis curandis in litteris actisque omnibus edendis utuntur. Accedit quod quos doctissimos libros sancti Patres Ecclesiaeque Doctores latini scripsere, eos et huic linguae commendarunt. Sed praeterea lingua latina cum philosophiae, tum sacramrum disciplinarum lingua facile dicenda est. Quum enim ipsius vis et natura ea sit, ut aptissima existimetur ad difficillimas subtilissimasque rerum formas et notiones valde commode et perspicue explicandas, hac perpetuo uti sunt a media quae vocatur aetate usque ad totum saeculum XVIII, eademque usque adhuc uti solent et scriptores in libris scribendis sive de theologia sive de iure canonico, sive de ipsa philosophia, et magistri in iisdem docendis disciplinis ». Litterae concludebantur horantes magistros et discipulos ut pro suo cuiusque officio in latinæ linguae studium incumberent, prout sacra studia potissimum apud archigymnasia requirunt.

Quam intime haec sancti Pontificis verba animum eorum, quorum maxime erat debitum, invaserunt?... Nolumus de re sententiam pronuntiare; id unum memoramus - quod ceterum aperte iam scripsimus - quum paucis diebus ante Eius mortem Ipsum visitaturi adivissemus et sermo in eiusmodi argumentum incidisset, nosque timorem refulssemus ne ampius perciperetur passim quantum latinitatis vinculum Christianae humanitati eidemque ecclesiasticae doctrinae integritati esset conlaturum, Illum adamussim respondisse: - « Haec quae cor tuum agitant, ego decem et ultra annos quotidie ingemisco! ».

Nec aliter Benedictus XV, qui ut in incoepio opere persistemus nos admonens et suadens, saepe saepius immane bellum, quo orbis flagrabat, et ob ipsum doluit, quod sibi opportunitatem negaret,

ut hanc etiam provinciam curandam pro meritis assumeret.

Sed Benedicto XV vita functo et in Petri solium Pio XI suffecto, viro omni doctrina et sapientia excultissimo, en pacis sole vix ad orientem redeunte, et quamquam a nubibus nondum libero, praedecessorum suorum vexillum attollit, et ad signa animose suos vocat. Inter primora enim Magisterii sui acta, epistolam apostolicam edit de seminariis et studiis clericorum, in qua altissime docet et clamat: « Primum est de linguae latine studio in litterariis clericorum ludis omni cura fendo atque provehendo, quam linguam scientia et usu habere perceptam non tam humanitatis et litterarum, quam religionis interest. Etenim Ecclesia, ut quae et nationes omnes complexu suo contineat, et usque ad consummationem saeculorum sit permansura, et prorsus a sui gubernatione vulgus arceat, sermonem suapte natura requirit universalem, immutabilem, non vulgarem. Huiusmodi quum sit sermo latinus, divinitus provisum est ut is mirifico esset usui Ecclesiae docenti, idemque Christifidelibus doctioribus ex omni gente magnum ministraret vinculum unitatis; iis dando scilicet non solum unde, vel locorum intervallo disiuncti vel in unum locum congregati, facile inter se sensa mentis et consilia conferrent, sed etiam, quod maius est, unde, quae Ecclesiae matris sunt, altius cognoscerent et cum Ecclesiae capite arctius cohaererent. Utraque de causa, ut cetera omittamus, liquet clerum, ante alias, latinæ linguae perstudiosum esse oportere; neque enim h̄c laudes persequimur, quibus hoc commendatur loquendi genus, pressum, locuples, numerosum, maiestatis plenum et dignitatis, quod mire dixeris comparatum ad serviendum Romani Pontificatus gloriae, ad quem ipsa Imperii sedes tamquam hereditate pervenerit. Quod si in quopiam homine laico, qui quidem sit tinctus lit-

teris, latinæ linguae, quam dicere *catholica* vere possumus, ignoratio quemdam amoris erga Ecclesiam languorem indicat, quanto magis omnes clericos, quotquot sunt, decet eiusdem linguae satis gnarus esse atque peritos! Horum profecto est latinitatem tanto tueri constantius, quanto a sapientiae catholicae adversariis qui saec. XVI Europae in una Fidei doctrina consensionem labefactarunt, acrius eam norunt oppugnatam. Quare - quod ipsum in Iure Canonico cautum est¹ in litterarum ludis, ubi spes sacri ordinis adolescent, accuratissime sermone latino volumus alumnos institui, hanc etiam ob causam, ne deinde, quum ad maiores disciplinas accesserint, quae latine utique et tradendae et percipiendae sunt, fiat, ut prae sermonis inscrita plenam doctrinam intelligentiam assequi non possint, nedum se exercere scholasticis illis disputationibus, quibus egregie iuvenum aciuntur ingenia ad defensionem veritatis. Ita iam non continget, quod saepius dolemus fieri, ut nostri clerci sacerdotesque, quum haud satis operae litterarum latinarum studio dederint, neglectis Patrum Doctrinique Ecclesiae copiosis voluminibus, quibus Fidei dogmata exhibentur cum dilucide proposita tum invicta defensa, idoneam sibi doctrinae copiam a recentioribus, in quibus fere non modo perspicuum dicendi genus et accurata disserendi ratio solet, sed fidelis etiam dogmatum interpretatio desiderari. Quae igitur Paulus Timotheum admonuit: *Formam habe sanorum verborum ...² Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt,³* haec, si unquam alias, his praesertim temporibus valent, quum varias errorum fal-

lacias, scientiae nomine specieque obtectas, nimis multi usque quaque venditare consueverunt. Has autem quis detegere possit ac redarguere, nisi Fidei dogmatum probe sensum teneat vimque verborum quibus solemniter sunt expressa, denique nisi ipsum, quo Ecclesia utitur, sermonem calleat? ».

Faxit Deus ut Pontificia vox plene omnino exaudiatur; idque Christiano nomini et humanitati omni felix, bonum, fortunatumque siet!

ALMA ROMA.

In “Nova tentamina poetica,”
Fr. Xav. Reuss

Supervacaneum fere est de Fr. Xav. Reuss poëtica facultate dissererè ac praedicare, praesertim quum huius Commentarii lectores varia eius specimina carminum saepe cum admiratione perlegerint. Namque is est poëta, cui facile primae deferendae sint, quique nobilitate rerum, suavitate numerorum, elegantia et copia versuum, ingeniique fervore unumquemque legentium alliciat. Quae omnes virtutes mirum in modum effulserunt, quum a. 1915 a certaminis Hoeufftiani iudicibus elegydion illud suavissimum, *Mnemosynon*, praemio aureo ornatum est. Ex quo concordi iudicio patuit quanta insit ingenii vena in Fr. Xav. Reuss, quantum ille antiquos numeros calleat, quam digne cum optimis poëtis antiquis certet, quamque acute et subtiliter novos sensus latina veste involvat; adeo ut facile peregregium poëtam latinum Reuss consalutemus. At quum hisce diebus nova eius tentamina poëtica in lucem prodierint, iuvat h̄c nonnulla de eis lectores edocere.

Pernitidus libellus, pagg. 348, typis Cugiani Romae editus, cui additum est fo-

¹ Cod. I. C., can. 1364.

² II Tim., I, 13.

³ I Tim., VI, 20, 21.

lium quinque carmina novissima continens, in quinque partes dividitur: I habet carmina praemio vel laude ornata; II carmina sacra; III carmina gratulatoria; IV carmina de variis argumentis; V carmina aliis expressa linguis. Sequitur appendix carmina auctoris exhibens a variis interpretibus e latino sermone italicice conversa.

In rerum varietate varietas metrorum, quae omnia pro re numeris exornanda sive celebranda, opportuno iudicio eliguntur. Stropha enim alcaica, elatior sublimiorque, elatior ac sublimiora convestit argumenta; sapphica sensus animi motus que per dulces et ea quae caritatis sunt, callidissima interpres, effert; distichon quamcumque rem, quemcumque eventum, vel levem vel insignem, optime describit; hymnus, per brevi forma conclusus, martyres et heroës religionis nostrae sanctissimae extollit. In qua varietate metrorum quum omnia cum re proposita convenienter congruant, electa invenies verba, suaves imagines, comparationes idoneas, sermonem purissimum. Quin etiam ea est simplicitas versus, ea facilitas et prope dixerim effusio, ut nihil quae sit, nihil simulati vel putidi redoleat; legentes vero, numerorum capti simplicitate, desinentia verba sive exitum uniuscuiusque strophae fere occupant et interiorem concentum percipiunt. Quod est verae poësis: quippe quae non aures offendat, non mentis, sive intelligentiae, intentionem requirat, sed sponte animum alloquatur, eumque totum obstupescensem devinciat.

Argumenta rei sacrae in libello plura sunt, et quodam consanguinitatis vinculo connexa. Quod per se fert - nec ullo modo evitari potest - ut aliquid iisdem verbis reddatur. Sed vel in repetitionibus non taedio, non satietate nos afficit poëta, ut vulgo iteratae res solent afficere; quod ipsi cum poëta sentimus non posse aliter illum versum terminari nisi illo verbo-

rum exitu, quem ante ipse iam elegerit et prope suo sanxerit iure. Neque h̄c praetermittendum est, Reuss compluribus locis iterationem effugere contendisse; quae cura modo ex varia verborum dispositione appetit, modo uno verbo novo allato, modo totius elocutionis sonitu varie conquisito.

Carmina XXIV et XLI (B) partis II eodem fere modo incipiunt:

Legifer nostri *pater* Instituti = Legifer nostri *sator* Instituti (quae imago etiam in fine B occurrit: Inclytum nostri generis *satorem*); at quam consulto *sator* verbum inducit ad repetitionem effugiendam!

Dicas conspirare in unum, nec solum rerum similitudine sed etiam verborum, c. X (partis II) de *Cruce Christi triumphante* et c. LII quod parti III initium dat quodque Pii X pont. max. festum nominale concelebrat. In utroque enim carmine Constantini M. victoria in Maxentii legiones apud pontem Milvium memoratur; sed quam apte eadem res utroque loco variatur! Quam valde eadem res, etsi repetita, placet!

Heic metūs expers, tua collocasti castra, Maxenti: legione multā septus, et fausto bovis immolati omne fisus.

Filium rides Helenae, cruentam qui tibi cladem, sibimet triumphum praecinit certum, *Crucis explicato caelite signo*.

Curris ad pugnam, *Iove fretus*; infinita telorum volitare grando; mox sonant enses, truciorque saevit cominus ira.

Milvium sentis trepidare pontem, quem graves calcant pedites, equorum quem premunt turmae; rubet a profuso sanguine Tibris.

Heu tibi! cui flos cecidit cohortum; terga verterunt reliqui; fuamque ipse molitus, fluvii tumentis praeda peristi.

(c. X).

A criter Romam sibi vindicabant Caesares bini: Crucis ille Christi cultor accedit; colit hic deorum numina vana.

Ille, Gallorum veniens ab oris, voce caelesti monitus, triumphis advolat certis, *Crucis explicato auspice signo*.

Herculis clavam Iovis atque fulmen invocans, alter bovis obtuetur exta, felicem paritura, teste ha-ruspice, pugnam.

Pugna mox fervet, volitatque primum spissa telorum crepitansque grando; tum micant enses, truciorque saevit cominus ira.

Milvium sentis trepidare pontem, quo ruunt densi pedites, equorum quo ruunt turmae; rubet a profuso sanguine Tibris.

Fortior quivis cecidit tuorum; terga verterunt reliqui; fugamque ipse moliris, periturus inter fluminis undas.

(c. LII).

Negari non potest - equis enim audeat - multa eademque ex uno carmine in alterum influxisse, quum de eadem re, de iisdem ducibus inter se pugnantibus, de eodem pugnae loco agatur: at qui bene rem perspexerit, fatebitur res et verba huiusmodi necessitate quadam coacta exposci, nec illo loco moleste insulseve sonare.

Placet autem in versu Reuss nescio quae gratia et suavitas, ex litteris inter se fere iocantibus, quae *appovlav* quae dicitur imitatrix, efficiunt, aut consonantibus similiter incipientibus effecta, ut in c. XXXIII:

raptus e terris radiante curru

(in quo versu sonus r consonantis pluries recurrit).

Ibid.:

claviger Petrus tibi ter beati;
et in IX:

vi gratia domitus, tolle teneque tibi.

In c. LXX poëta iocatur in duplum significationem verbi *furandi*: scilicet aetatem *furandi* hanc esse memento sive *adnectendi*, ut vox hodierna sonat.

Pulchrae locorum descriptiones passim adnotantur, in quibus et ille genuinus naturae sensus, ut vulgo dicitur, agnosci potest, et mira poëtae ars in locis locorumque deliciis oculis ponendis elucet. Videris enim, tanta poëtica facultate, illis fere locis adesse, quae Musa suo subtili penicillo, et quasi acu, fingit et colorat!

Dixi in carminibus Reuss argumenta sacra numero praepollere; at erres si credas poëtam surdum suis aetatis nostrae vocibus, tot procellosis belli fluctibus exagitatae. Eius enim poësis fere omnis illam tempestatem amplectitur, quae belli Europæi strepitum ac furore concussa est; idcirco tantam rem funestissimam, tot hominum vitas et res evertentem, recusare non poterat quin versu lugendo attingeret. Bello enim furente et late per regiones bacchante poëta permovetur; tristis et lacrimosus adest ruinarum spectaculis; frustra deflet et implorat pacem; et quum pax tandem ex orbis terrarum ruinis adsurgit, et populi, prostrati tot necibus, fraternalis iungunt dextras, pacem concelebrat eiusque munera optatissimae; quamquam vero non sibi dissimulat diu etiam luctandum esse priusquam fundamenta iustitiae concordiaeque reficiantur:

Quam longa res est hirtaque sentibus turbata Pacis iura reponere!
vix sera tandem pax revixit,
dissidiisque patens novellis...

Et quum viderit in omni coetu de pace agenda procul exsulasse religionem, quae

sola det actis firmitatem, non potest quin ad Deum conversus exclamat:

O Christe, Pacis pacta labantia tuo, benignus, numine robora; hoc te rogit plebs Christiana, quique regit, Benedictus, orbem.

Inter omnia libelli carmina valde laudabilia sunt, quippe quae omnibus numeris absoluta: XXXVIII; XLI (B); XLVI; XLVII; XLVIII; L (B); LVI; LIX; XCIV; C; CIII. Haec enim, quantum sapio, prae cunctis optima dijudico.

Neque solum de caede bellica et pacis iuribus instaurandis agit poëta; quin imo sua tellus Alsatina valde eum tenet, et liberata tandem ex iugo Germanorum, in hos mollissimos versus inducit (c. XCIV):

Durum passa iugum, tu mea nobilis
Tellus Alsatiae, iam caput erige;
luctum pone, triumpha
tanto libera pondere.
Audi: Rhenus ovans plaudit, et assonat
silvoso Vosagus, collis et uvifer
quivis, arvaque plana
late consita tritico.

Non displiceret Horatio huius carminis impetus et concitata vis. Quam placet illa Argentinea urbis celebratio, idest Strasburgi, quae prima clangit ob laetissimum liberationis eventum, quaeque sua Turre superbit (V. etiam c. XLVI):

Rheni gemma, nitet - cincta suburbis -
Argentina, sua Turre superbiens...)!

Efficaci autem modo versus Reuss cursus civium funestissimos et partium studia in dies lascivientium attingit:

Iam non irruerent in herilia iura coloni,
nec famuli dominos aedibus eiicerent.
Artifici merces etiam sua iusta daretur,
aeger inopsque piam consequeretur opem.

De his haud levis momenti aliisque argumentis Fr. Xav. Reuss iam aetate

provectus poëtice agit. Ac tanta integritate virium canit, tanto nitore versuum et mentis incitatae robore, ut illum vix aetate senescentem dicas. Is quidem suam musam *cantricem petulantem* dicit (LIII), et sua vox est *minimi pusilla nuntia vatis*; ut in c. LXXIX se ipsum appellat *versificatorem inertem*:

Municipi, Iosephe, meo tibi gratulor acta
Versificator iners...

At hoc minime credendum. Neque ego dubitaverim Reuss cum Statio lyrico quodammodo conferre (non displiceat praesuli dignissimo si hanc contentionem cum poëta ethnico ausim facere): cum eo enim habet communem felicitatem scribendi versus; artem variandi eadem argumenta, eandemque rem novis formis vestiendi; peritiam vitandi difficiles abstrusasque sententias et verba difficilia: in utroque eadem ingenii celeritas et facilitas, eadem animi inflammatio, idem verborum eligendorum cultus. Quin imo in nonnullas phrases congruunt, ut in: *Iliaci Pyliique anni*: v. *Sylv.* I, 3, 110; I, 4, 125; II, 2, 107; III, 4, 103, etc.; et Reuss:

O utinam videoas Nestoris ipse dies (c. LXXIX).
... detque dies vivere Nestoris (c. LXXXIII).
... superet Nestoris ille dies (c. LXIV).

In Catulli epigr. CV cuiusdam mali poëtae mentio est, qui dum temptat Musarum montem scandere, furcillis a Musis eicitur:

... conatur Pipleum scandere montem:
Musae furcillis praecipitem eiciunt.

Nihil est - in hoc novo et nitidissimo libello - dignum quod praeceps per declive montis ardui furcillis a Musis agatur. Iam Reuss Pipleum culmen tetigit, et illic sedeat diu effundatque late suaves suae Musae concentus, latinos numeros affabre pertractans eisque concinens quid-

quid ad nostra tempora nostrosque sensus pertineat.

Tuque... videoas haec tempora laeta redire sospes et infractis viribus usque fruens.¹

MARCUS GALDI.

¹ Nullis mendis typographicis vitiatur libellus - quod auctori laudi vertendum - si tollis *iustiti pro iustitia* (v. pag. 91, n.); *actas pro aetas* (p. 165); *ad pro ab* (pag. 233, n.). In c. LXX (pag. 186) lego: nil est thesauro *carior aurifero*, ubi *carior* nescio quomo pro *carius* illapsum est. Non censui dicendum esse de quibusdam imitationibus seu fontibus, prae sertim horatianis, in quas incidis. Eae vero ita sunt sapienti iudicio rebus de quibus agitur intextae et prope commixtae, ut novum quiddam redoleant et novam gratiam rebus ipsis conferant.



AEROVEHES

*Nunc est ovandum! Summa per aethera
Instar volucris machina pervolat,*

Audaxque mortalis superbum

Tendit iter, propiore caelo.

*O mira virtus ingeni in omnia
Niti potentis! Fabula Daedali*

Portendit ituros ad astra

Tutius icario volatu.

*Caelum petentem nunc aquilae virum
Mirantur alis non homini datis;*

Victaeque stridentes acute

Aufugiunt, properante plano.

*Navis, citatae cui subeunt rotae,
Alata planis rite patentibus;*

Inclusa vis, spirarium ordo

Eximia micat arte moles.

*Campi patescunt: ausibus arbitri
Haerent stupentes, corda silentia*

Pulsat pavor, concendit heros

Naviculam celeremque adurget.

*Io triumphe! Haud aufugit alitum
Regina in auras viribus acrior,*

*Ut praepes in nubes aquosas
Antevolat nova cymba caeli.*

*At si quid abnorme implicuit rotas,
Horrendum ab alto corruit aethere*

*Fatale monstrum, ingens ut ales
Fulgura quam iaciunt in imum.*

*Sed quae tenacem propositi virum
Unquam retardant? Cedere nescius*

*Per damna, per caedes, ab ipsa
Ducit opes animumque clade.*

*Salve, vir, almae victima gloriae!
Arcana rerum sanguine poscimus:*

*Dat fortibus virtus triumphum,
Perpetuae pretium coronae.*

*Nil arduum, audax Iapeti genus,
Tibi! Canamus publica commoda*

Viresque naturae retectas,

Quaque recens tult ampla saeclum.

*Frusta obstiterunt dissociabiles
Terrae, vel Alpes cautibus horridis,*

Silvae, ferae, pontique fluctus

Atque poli glacie rigentes.

*En!... Tu coërces ignea fulmina,
Navem per auras dirigis arduas:*

Propulsa fumanti vapore

Ecce vehis vorat axe campos.

*Num tu procellas Oceani nigras
Times? Videmus monstra natantia*

Secare pontum et ferre merces

Et fera bella agitare in undis.

*Electricam vim ducimus undique;
Terras penetrat ruraque possidet;*

Currit, redit, magnaque mole

Praecipites trahit igne currus.

Filo loquaci currit aheneo

Verbum, damus dum signa loquentibus

Longis ab oris vocem amici

Excipimus tenerosque sensus.

*Dispellit umbras nocte sub aspera
Splendor, refulgens sole micantior:
Urbesque momentoque rura
Insolita nituere luce.
Marconii laus nuper in aethera
Audita! Vibrans agmine praepete
Vis dat remotas signa ad aras,
Mox procul excipienda terris.
Salvete, nostri gloria saeculi
Scientium stirps, quae nova posteris
Arcana pandis; cui suprema
Templa poli patuere tandem.
Cessas quid ultra? Tramite sospite
Adire regnum disce vel altius,
Quo diva Libertas Fidesque,
Quo sociae revocant et artes.
Aquilae, in Vestinis.*

ANGELUS NARDIS

De S. Petro Apostolorum principe in lapidibus antiquis

Res est equidem mirabilis et memoratu dignissima, studium, hac nostra potissimum aetate, clarissimorum virorum, ut in dies clarius effulgeat obsequium Christianorum erga Pontifices Maximos, et in primis in Beatissimum Petrum, qui iure meritoque est habitus Apostolorum princeps, omnisque sapientiae christianae veluti principium et fulcimen.

In eum enim oculos animosque respi-
ciunt veteres, in eius doctrina animum
sibi conscientia recti, in ipsis arduis rebus
et periculis, placide conquiescere consue-
verunt.

Haec atque alia id genus compluram
mente lubenter volutabam, quum Wilpertii,
eruditissimi viri, opera considerarem a
variis monumentis nuper effossis, quae e

coemeteriis christianis facile eruere possumus, quo studio singula quaeque Petri peramanter in medium referunt.

Et *Alma Roma*, quae in Petriana sede insigniter nititur, hisce inventis maximum in modum exultat, et meliora sibi in dies ominatur, ut ad maiorem Patris decorum filius exultare debet laetitiaque gestire.

Sunt quindecim et amplius sculptilia, quo nuper divinitus inventa Petrum Apostolum diversimode ob oculos referunt.

Fontis signum.

Saepissime occurrit et prae ceteris procul dubio signum fontis, quod omnes interpres et illi quoque qui dissidentium sectam profiteri praedican, ad per vulgatum Moysis miraculum referunt. Ipse I. B. De Rossi, clarissimus ille rerum Romanarum vindex, virum, qui rupem ferula divina percudit, Moysem-Petrum conceptissimis verbis appellat.

Haud levem quidem confusionem inter interpres gignit genus illud novissimum pileorum, quod nonnulli ad gentem Hebraeam unice pertinere autemant. Verum vir peritissimus quum in medium retulisset et in Podgoritzia vitreis eamdem prope rerum naturam referentibus Petrum obsignatum esse, nec utique Moysem, ita perspicue adseruit opifices ad Sanctum Petrum respexisse.

Ad rem insuper facit locus quidam Vegetii, *De re militari*, ex quo nos novisse possumus, militum Romanorum pileum, unum eumdemque esse ac *Pileum Pannonicum*, quemadmodum hac in pictura videmus.

Agitur itaque hinc de militibus, habitus enim adfatis militaris est; ac propterea minime ad Moysem pertinet. Quae quum ita se se habeant, omnes in eam sententiam conveniunt, id signum ad Cornelium centurionem suosque milites referri, qui e gentibus priores ab Apostolo baptizati fuerunt.

A negatione ad Crucem.

De hac re saepissime legitur in tabulis, vel a secundo post Christum natum saeculo, cum verbis: *Flevit amare*. Quod quidem sonat ac poenitentem vitam Petrum egisse, laborumque plenissimam. Haec vero poenitentia magnum misericordiae monumentum est omnibus, qui in arcis marmoreis conquiscent, et nobis, post tot saecula in mentem revocat, Petrum amare insipientiam suam flevisse.

Frequens quoque est mentio captivitatis, quam Petrus tum Romae passus est. Illam quod in rerum Christianarum initio, in magna veluti animorum perturbatione; istam, quum ad obitum verteret, insigni securitate sustinet.

Quin imo, ex auctoris consilio, Petrus, ut in hac quoque re magistri vestigia sequatur, habet qui in cruce ferenda sit ei adiutor.

Quod quidem prae ceteris adfirmat, Christianos primae aetatis magna admiratione atque studio cum magistro divino Petrum componere. Et hac in re facilis est rerum explicatio, quae in primis ad Apostoli simplicitatem convenit, quae haud rigida apparet neque obscura, sed suavis simis undique coloribus deprompta.

“Confirma fratres tuos ...”

Ad rem admodum praestantissimam accedimus, ad opus scilicet quod Magister caelestis ad sydera prefecturus Petro concessit, ut data opera fratres verbis sustineret atque exemplo in pietate ac doctrina confirmaret. Et sane in difficultissimis illis religionis temporibus, Petrus singularem diligentiam et moderationem professus, atque ad religionem unice respiciens, rem Christianam aequo auxit animo, et fratres late in orbe terrarum effusos re atque consilio adiuvit.

Re enim vera saepius Petri imagines occurrunt haec verba referentes: *Tu es*

Petrus... Identidem divinus Magister Petrus volumen manu sinistra praebet, cui est titulus *Lex*, eumque homines docere iubet, volumen dextera porrigen, hisce verbis: *Lex Christi*. Quam quidem, ex Sancti Ignatii martyris iudicio, Ecclesia Romana obtinet a Christo per Petrum ei traditam.

Huius rei expositio, una cum Christi ad caelum ascensu, vicies et amplius inventur. Nec petra illa desideratur, in qua Christus Ecclesiam suam aedificatus esse pollicebatur, quamque XIX saecula divinitus stantem venti undique reflantes nec labefactare potuerunt nec loco dimovere.

Adest hinc Petrus conspicuus et veluti in augusta sede iam interest populo christiano et caelestia iussa docet.

Cathedra Sancti Petri.

Haec autem Petri cathedra insignis est vel a saeculo christiano secundo, quae conceptissimis verbis *Cathedra urbis Romanae Ecclesiae* appellatur. Prae ceteris maxime commendatur celeberrimum sarcophagi simulacrum quod in Arelanensi museo asservatur, et ad monumentum Lateranense admodum accedit, quodque memoratu dignissimum, monogramma Christi refert in volumine sculptum Iesum Petro docenti adstantem. Hinc facile desumitur, si Christus Petro docenti adest, universam eius doctrinam falli nesciam esse et omnes Pontifices Maximos Romanos eius esse certissimos heredes.

Insigne hoc quidem est, uti omnibus patet, veritatis documentum, et quod caput est, ad quartum Christi saeculum pertinet. Hac enim doctissima imaginum Petri interpretatione ac monumentorum gravis illa historica quaestio clauditur, quae clarissimam lucem de Petri vita lectoribus addit, quam nos in compendium reducendam esse putavimus.

Uno verbo, haec solemnis quaedam veritatis synthesis clarissime ex hisce monumentis effulget et summo Magistri testimonio obsignatur, qui dum Scribas Pharisaeosque queritantes increpat in puerorum clamitantium confessionem, graviter monet: *Dico vobis quia hi si tacuerint, lapides clamabunt.*

Quibus nos verbis laeti denique rei finem imponimus, quod ab lapidibus istis veluti a clarissimo fonte monitum veteris sapientiae manat, Christianos vel ab initio in Pontifices Romanos tamquam in veritatis magistros respexisse, eosque summos catholici nominis parentes colluisse, apertissime testantes Petrum in medio rerum Romanarum turbine Ecclesiae iura mordicus retinuisse et divino eius numine, homines, lingua, ingenio disciplinis moribus dissonos, potuisse in unum consensum coalescere.

SENIOR.

FLORALIA

Si, quemadmodum spero, ut *Iosfori* nostro, ita et lectoribus commentarii placet de floribus legere, ipsis libenter morem geram, et **de anemone** primum, lectissimum florem, referam.

Floriferis itaque oculis abundat exigua radix anemones, ut omnium voluptati oculorum quam maxime prospiciat. Sunt, qui anemonem Phenion vocant; alii Adonidis ab apro interempti florem appellant; alii Veneris Adonidem lugentis lacrimas in eum florem concrevisse deblaterant, innocentissimi risum floris impurae fabulae tragico luctu funestantes; alii denique, vim Graeci nominis interpretati, *Florem venti* nominant, quia non sine vento aperitur, et, quas etiam aula vices alternat, eadem, qua favebatur aspirante aura, reflante diffatatur.

Duae sunt huius herbae fastigia: alte-

rum tenuibus coriandri foliis alte multifidis, minutim laciniosis atque tergeminis; alterum apii modo divisus, tripartito dissectis, rotundum per habitum modice serratis, et leniter crispis viret. Eius, quae folio tenui est, anemones caulinulus nudus, exilis, leviter lanuginosus, palmaris, aut etiam pedalis circa dimidium, aut sub ipsum cacumen tribus foliaceis laciniis sine pediculo pressius cohaerentibus, et aliquantulum surrectis intercinctus, in cacumine florem explicat latioribus foliis non minus senis, fere in rosae amplitudinem circinatum, medio interdum globulo staminibus obsito, exalbido atque villoso capitulatum, qui in lanuginem, semine subrufo, longiusculo, planoque plenam, aura levissima solvit ac dissipatur; interdum etiam sine seminali capitulo coma densissima capillatum. At vero latae foliae flos, simili caule suffultus, angustiorum foliorum modo simplici, modo multiplici serie contextitur. Excusso flore, caput in umbilico eminulum nascentis asparagi cacumine intumescit, exili flocco incanum, et lanuginoso semine densatum; quo tandem fatiscente, leviter volitantes seminales vilos incautis cultoribus aurae praeripiunt. Utraque anemone latifolia multum, e semine varie degenerante progenita, licentius versicolori varietate lascivit. Quae folio tenuiore pubescunt floris huius radices, intus candidae, pullo foris castaneae colore non sine multiplici discriminé nigrificant: pleraeque etiam in graciles, pressas, longas et inaequaliter articulatas appendiculas, quas ab imitamento linguas vocitant, effunduntur; nonnullas tamen animadvertisimus nodosis oculis, quam porrectis linguis, frequentiores: eae praesertim sunt, quae florem serunt persicae flore concolorē, minutulas laciniias conglomerantem, qui vivo cinnabaris rubore splendescens, quique plane viridi facie anceps, dubium inducat utrum inter flores herba sit, an inter herbas flos.

Florum praeterea, quos tenui folio anemone parit, genera varia praesagimus e praegerminantium varietate foliorum. Anemone candore tum emaculato suaviter lactea, tum obsoleto nitide sordida, folium praemittit frequentibus incisuris leniter laciniosum; interque incisuras folio laxius anemone, quae mali persici florem dilata purpura aemulatur, comam colligit, lacteam tamen, et magis explicat, et in viridi dealbat; albicans et angustat et sulcat. Rubra, albo rubroque maculosa et oris puniceis, candida, effundit prope eonsimile, longulo videlicet ab radice pediculo, porrectum, mediocriter incisum, sparsum, herbeo colore viride ac subrubens. Alba, languido rubore umbilicata, et coma dupli bicolor, viridissimum, per amplum, crassum, erectum, rarius intercicum crispum illud exhibit; dum hilari cinnabaris fulgore ardentissima, et lacteis gutteis irroratis minus ardens magisque visenda bene virescens, levi per horas rubore conspersum, raros in ramusculos discretum et fere iaciens. Quae autem profundi coloris tristem ruborem interfuso candore diluit et hilarat, porrectum minutatim laciniosum habet, satis viride, non admodum assurgens; quae contractis utrinque foliis coco saturatiore nitet, mediocriter flexile. temperate virens et modicis divisuris incisum; diluto minio fucata, spissum, laxum, rarius crenatum, nonnihil assurgens. Praeterea est anemonis genus quinque colorum ornatus multiplici singulare: rarum hoc, breve, retusum, minute concisum, humi stratum et plane supinum, fusca viriditate inamoenum. Quod est trium colorum felici numero gaudens et ad mali persici florem languide accedens, medium glomerat caesariem, et pusillum, densem, multifidum appetat; eiusdem mali persici rubello concolor flori, prolixam depexamque comam staminibus coronat, raris divisuris distribuitur, latis particulis distinctum et pleno virore splendidum. Anemone violacea, mediis inter extremas incisuras intervallis superiori subsimilis, surrecta et vegeto colore iucunda, circa umbilicum viridi ambitu oculata, oris rubentibus brevis, modicis incisis fastigiata, blande virens, humili silvula procumbit; at vero toto interdum subrubente flore ac virente coma bicolor fit: grandiuscula ea, parcus fimbriata, minus silvosa, in viridi pallida, paulo erectius attollitur. Circumfusis foliis est obsoletius purpurea, mediisque conglomeratis foliolis virescens, alte insecta, longis et ramulosis pediculis dissipata, raris ramulis brachiata, incurva ac decoroli facie inamabilis. Isti cetera consimilis, at viridior, laxior, densior atque in excelsum emicantis, villoso florentem holoserico fuscam purpuram induta, regali cum habitu nomen usurpat. Flammea denique alia floreas foliorum nives purpureis radiis innocenter pervadit et minutulas in laciniis dissecatur contractas, ac vegetissima viriditate coloratur.

De aliis floribus, alias.

ANONYMUS.

PRO IUNIORIBUS

De primo bello Punico, quod gestum est ab anno CCLXIV ad annum CXLI a. C. n.¹

Deinde Romani in mari pugnare destinerunt, neque ita magnas ad bellum terrestre copias misere in Siciliam. Quum etiam Carthaginensium opes belli diuturnitate essent confectae, praesidia ita oppugnabantur, ut ad nullam dimicationem sit ventum rei universae.

Tum Hamilcar Barcas, hoc est *fulmen*, adulescens Carthaginensium suscepit imperium. Qui, etsi exiguis copiis mercena-

¹ Cfr. fasc. sup.

riis rem omnem vertere non poterat, tamen gloriam bellicam Carthaginem in terra restituit. Nam quum naves eius praedatoriae Italiae litora infestabant, ipse ex monte Eirecte non longe ab urbe Panormo, postea ex urbe Eryce in totam insulam excurrebat.

Postremo ab Romanis intellectum est sine classe bellum ad finem non venturum esse. Itaque cives divites amore impulsi patriae suo sumptu cc aedificarunt naves, quibus C. Lutatius Catulus cos. portum Lilybitanum et Drepanitanum, qui portus nullo fere custode erant, occupavit, et anno postero, hoc est ccxli, apud Aegates insulas classem Carthaginem, quae celeriter ornata victimum ferret et auxilium, superavit.

f) Componitur pax.

Tum Carthaginenses de pace agere coeperunt, quae ab Hamilcare et a Catulo his pacta est condicionibus, ut Carthaginenses tum Siciliam relinquenter et eas insulas, quae essent inter Siciliam et Italiam, tum pro belli impensis tria millia talentum et ducenta darent. Itaque Sicilia, excepto agro Syracusano, provincia Romanorum facta est.

g) Mutantur quaedam in re publica Romanorum.

Eodem anno ccxli, quo Romani primam fecerant provinciam, cives Romani, quum, duabus novis additis, xxxv tribus institutae sunt, ab Italiae sociis in reliquum tempus separati fuere. Simul cum tribuum numero populariter comitia centuriata ita mutata sunt, ut in posterum in singulis tribubus unaquaeque ex quinque classibus bina haberet suffragia, centuriam maiorem et centuriam minorem; singulae classes septuagena haberent suffragia: qua mutatione prima classis, quae Servi Tulli instituto plus valuerat, par facta est reliquis.

(Continuabitur).

A. HABERL.

ANNALES

Hagensis et Londinensis coetus.

Hagensis coetus frustra heu! congregatus est. Russi enim, quibus - uti diximus - oblatae sunt petitiones, quae certum responsum iuberent ut in aliorum populorum societatem et ipsi admitterentur, morati primum sunt, ac deinde coetus consiliis assentiri noluerunt. Itaque in hanc infelicem conclusionem Hagensis coetus praesidi, legatos dimittenti, deveniendum fuit: « Si conventus hic exitum non obtinuit, quem et omnium spes, et Europae status repetebat, inde processit, quod terrarum orbis in duas partes adhuc dividitur, cuius spiritus nimis dissimilis adhuc est, ut altera alteram intelligat. Maturanda itaque est salutaris temporis actio ». Interim inopia, fames, lues miserum Russorum populum vexant, metunt; ad quae pro viribus suis coercenda intercessit iterum Summi Patris vox, nempe Pii XI P. M., qui datis apostolicis litteris quotquot humanitate per orbem universum praediti sunt vehementer sollicitare non destitit, ut lacrimabili rerum statui opibus suis secum subvenirent, et legionem misit, quae auxilia languentibus incolis suo nomine distribueret.

Paucos post dies coetus alias Londini convenit, qui de prolatione Germanis concedenda ad solvenda debita ipsis ex bello imposta, disceptaret. Res facile recognita est intime cum debitibus a belligerantibus populis omnibus factis connexa, cumque internationali pecunia mutuo sumenda, quam pariter efflagitant Germani. Gallia vero negavit se posse petitis accedere, nisi tuentes sanctiones decretae fuerint, inter quas usus, et, si necessitas requisiverit, Germanicarum fodinarum alienatio. Dicitum est contra, portoria iam imposita et quae foenera percipi possent ex pretio

eorum quae a Germania exportantur non mediocre pignus futura. Sed acriter obstant Gallici legati, quibus Poincaré praest, neque sibi persuasum habere videntur rationem suam eam esse, quae altera manu eripiat quod altera concederit. Profecto, ni fallimur, hinc etiam « salutaris temporis actio » exspectanda est; dummodo ne ea protrahatur, ut omnia sine remedio ante diruta fuerint ac pessumdata. Quod Deus avertat!

**

Nationum societas.

Neque meliores fructus e consilio Societatis Nationum promanarunt. A quo, quum supposita esset quaestio de armis ubique imminuendis, responsum est nunc id fieri non posse, ea praesertim de causa quod civitates nondum satis tutas sese ab aggressionibus sentiant. Evoe paci ac mutuae existimationi ! ..

Emissum vero votum est, ut et nationes quae Washingtonensi foederi non subscriperunt, - in quo cautum fuit ne qua in decem annos classem augeret, - eamdem pactionem et ipsae sibi accipient.

Statutum denique fuit, ut Anglis quidem Palestinae et Gallicis Syriae tutela recognoscatur, verum etiam ut et nationem, quae mandatum hoc concederunt, peculiaris « Commissio » constituatur, quae videat atque definiat iura et vindicationes, quae « loca sancta » spectent.

**

Hibernicum bellum civile.

Civile bellum in Hibernia perdurat. Dicunt De Valera illum, qui voluntariis reipublicae militibus praerat, in fugam se dedisse, rebellium ducem Gruga occisum fuisse, eiusque assecas, si post ferro et igni vastatam Cork urbem deseruerint, urbem tamen Queenstown in ditione sua enere adhuc.

Hodie autem nunciatur Griffith, Hibernici Status praefectus, morbo intra paucos dies absemptus.

**

Italicici motus.

Arrepta inde occasione, quod Italicum administratorum collegium a munere abdicasset, qui « communistarum » factionem sequuntur, a laboribus operariorū generalem desertionem indixere; quae nedum optatum exitum haberet, causa fuit ut « fascistarum » factioni addicti ad contrariam actionem vi procederent. Tumultus itaque hic illic insurrexerunt, quos tamen novum gubernium fortiter repressit. Tum quoque paterna Supremi Pastoris monita audita sunt, ut ad mutuam fraternalm caritatem gentes et partes redirent.


**

Clarus hospes Romae.

Die xi mens. Iulii Romam hospes gratissimus advenit clarus vir Marcellus T. de Alvear, Argentinae civitatis praeses electus, qui sollemni pompa eadem die Vaticanum adivit Summum Pontificem visitatutus.

Idibus Augustis MCMXXII.

POPLICOLA.



VACUI TEMPORIS HORA

Findit profecto insuetum in modum his diebus Sirius agros, et insana canicula non arva tantum, sed miseros ipsos nos mortales torret: omnes sudor occupat artus, improbeque spiritum ducimus. Rationabilis igitur causa est ut ad **texturas singulares** configiamus, quibus defatigatis membris solatium aliquod comparemus. Ad quas vero?

Sunt enim ex asiatico Tonchino, quae ab arbore, cui vulgo *ananas* nomen, conficiuntur. Cuius si fructus tam palato iu-

cundi sunt, foliae fibras texiles exhibent cum cannabinis comparabiles. Eae, aetate annorum duorum, quum metri prope altitudinem aequaverint, e sua stirpe aveluntur diligenterque ab utraque facie raduntur, ad cellulas chlorophyllae omnes amovendas.

Res sufflava tum remanet, atque prætenui filo spectabilis, quae per horas sex in frigida aqua servatur, ac deinde candenti sole traditur exsiccanda. Huiusmodi negotium ter iteratur, quo fila flexibilia magis ac nitidiora supersint. Mulieres tum carminationi ea supponunt ligneis pectinibus, torquent, et ad texturam oryxeo glutine comparant.

Texta pariter - ea vero non certe aestiva - ex metallica fibra expedituntur, quam lapis quidam fibrosus suppeditat, eaque dicunt tactui gratissima et quae absumentur nunquam; quinimo perfecte facilimaque ratione mundentur: nempe trandendo igni!...

Est quoque pannus... ferreus, a «lana calcarei lapidis», deductus, hoc est a pulvere calcarei cuiusdam lapidis cum quibusdam chemicis agentibus commixto et in furno calefacto, ubi apposito aëris cursui subiectus, in albam et lanatam materiem convertitur. Affirmant - ego enim fidem de re facere nequeo - bracas aut quamlibet vestem ex his textis ab adipice offendi prorsus non posse, huiusque panni mollitudinem ovinae lanae maximam subtilitatem exaequare.

De chartaceis et funensibus vestibus dicam? Quarum utilitatem - an potius necessitatem? - plures et exercitus et populi experti sunt in recenti cruentissimo bello. Addam Iaponios, exercitatissimos viros, chartaceas quoque chirothecas adhibere!

Tarenti in Italia velutie nonnullae armam etiam nunc callent colligendi atque fabrefaciendi byssum, antiquissimam illam *lanam pinnam*, quae ex conchilio trahitur, quod *pinna nobilis* nuncupatur, et humorem secernit, qui, aquae contactu, in tenacia fila convertitur, quibus animal scopolis adhaeret. Horum filorum subtilium,

ut capilli sunt, involucra, purgantur, carminantur et ad instar sericorum aguntur; texturaque inde promanat mollis lucensque, colore inter fulvum et aureum.

Mirae vero præ omnibus vitreæ texturae sunt, eaeque versicolores et flexibles quasi ex bombycinis filis conditae. Austriaci primi eas invenisse feruntur, iisque suavissimos induxisse colores: viridem, roseum, violaceum, flavum, quin etiam tali praeditos repercussu, ut vel adamantium pulverem imitentur. Anglicus autem fabricator et capillamenta confecit ex neto vitro, unde utilitates plurimae calventibus qui iis utantur: capillorum subtilitas, visuque tactuque serica species et veri similitudo, levitas summa, et, quod maximum est, nulla exardescendi facilitas.

Vitreas igitur vestes induamus a capite... ad talos ne? Haudquaque ad talos; non enim audivi et vitrea calceamenta adhuc fabricata fuisse.

**

Aestivum argumentum et cum Bernerio nostro tractemus; **Augustales** namque **ferias** hodie nobis exhibebit, quae Romae suo tempore ad inferiorem riparum Tiberis portum, vulgo *Ripetta*, agebantur. Nunc locus ille omnino mutatus est: pons inductus et altissimus hinc inde murus, qui amoenitatem omnem Tiberinis oris ademit. Mutati quoque Romanorum mores, et, ex hac parte saltem, profecto in melius:

Dum magni fervent Augusti mense calores,
Romulea in mediis gens recreatur aquis.
Templa ubi consurgunt divo sollemnia Roc-

[cho

Festiva est pompis concelebrata dies.
Proximus est fluvius, dictus de nomine Tibris:
Praeparat hinc plures plebs operosa iocos.
Accurrunt gentes, et ripam fluminis implent;
Scilicet his vastum praebet arena locum.
Suntque domus templo expositae, quae retro

[fenestras,

Unde et aquae et ludi prospiciuntur, habent.
Coniunctis tabulis, hinc parva cubicula fiunt,
Ut gens hinc habeat multiplicata locum.

Serica sunt supra et circum ornamenta: vi-
detur
Pulchrior ornatu splendidiore locus.

Sunt hinc magnatum uxores spectacula videntes,
Suntque etiam insignes nobilitate viri.
Est funis ductus de ripa fluminis una

Usque ad ripam aliam, qui superexstat
[aquis.
Est ex parte alia lignum versatile: motum

Hoc celerem ad motum dextrae agitantis
[habet.

Ligna trahunt funem cum sint immota, rela-
[xant,

Libera custodis dum facit illa manus.
Hunc dimissum ad aquas dextra arripit ergo

[Natator;

Dein sursum fertur, ludere ut incipiatur.

Se funi super imponens equitantis ad instar
Sistit, sed funem stringit utraque manu.

Tunc celeri motu circum sic membra rotantur,
Ut casum timeat, qui illa rotata videt.

Dein iungit post terga manus, sic brachia
[retro

Dum vertit, similis cernitur esse reis.

Nempe quibus tortura datur, delicta fateri
Dum renunti, cogit dicere vera dolor.

Sic capite inflexo, curvato pectore, funi

Vinctae retro manus pendula membra re-

[gunt.

Contrahit en arctus, contractos inde revolvit

Circum, sed semper brachia firma manent.

Sic semel atque iterum transit per brachia

[corpus,

Quod modo se inferius proicit, inde redit.

Post haec dispositis membris, sirenis ad instar
Cernitur, et magnus dicitur ille labor.

Tandem ludenti merces iucunda paratur:

Avvinctus funi est anser utroque pede.

Volvit hic interea pendens circum undique

[collum,

Nam, licet inverso corpore, vivit adhuc.

Tum ludens in fune manu collum arripit, inde
Vim faciens, tentat vellere posse caput.

Nam, capite avulso, totum de more lucratur;

Sic spe mercedis sponte fit iste labor,

At dum fervet opus, quae funem ligna trahe-

[bant,

Libera linquuntur deficiente manu.

Tunc funis ludensque simul labuntur in undas

Praecipi casu; fitque ruina iocus.

Nam populi irrident, auras et sibilus implet,
Dum iungunt alii concutiuntque manus.
Tandem iterum trahitur funis; tunc denuo
[ludens

Surgit, et ad pugnam fortior inde redit.
Anseris intorquet replicato robore collum
Cum non possit adhuc frangere, dente secat.
At volucris dominus post luctam hunc deni-

[que victor
Accipit et plausus mille laboris habet.

**

Icosa

PATER Tuccio, qui frustra in schola periculum fecit:

— Te pudeat, stupidissime! Ninus condiscipulus tuus minor natu, superiorum ipsam classem transilire valuit!

Tuccius: — Non equidem miror; eius enim pater ludorum gymnicorum est magister, et profecto in saltu eum exercitavit.

Tuccius amico cuidam:

— Quem vides, propinquus meus est.
— Proxime an longinque cognatione tibi iunctus?

— Longinque quidem: in Americis moratur.

**

Aenigmata

I.

(Vulgo *Rebus*).

RUIT V dum]
V dia I

II.

Totum sume: riget candescens mole super-
[bum.

Truncato tardus vertice complet iter.
Vocis visceribus si *consona prima fugetur*,
Exempla assidui mira laboris habes.
Altera tollatur: ramo congestus in alto,
Dulcia saepe canit, saepius alta petit.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Mel-os*; 2) *Ibis*.

Iosfor.

LEO IV

ALTER NUNCIUS.¹ Rem magnam narro! Sunt
[ad portam Barbari,

Et multi nostri lecti nuper milites
Accurrunt laeti, festinantes, obvii,
Eos incolumes ad ripam detrahunt.
Quis eos deneget tradidores pessimos?

PUBL. Sed Constans? Ei fidens nam commis-
[seram ...

CONST.² Adsum! Quid dicam? Me relinquunt
[socii,

Me proditorem dicunt atque perfidum!..
LEO. Eamus! Tempus forsitan advenerit
Laetus quo obiciam magno discrimini
Animamque ponam, si placaret Deo!

PUBL. Magnum Romae periculum! Cor mihi
[praesagit

Novam Pontifici vicinam gloriam!
Omnes: Eamus! Et simul mori, si oportuerit,
Sumus parati!

LEO. O vitae prodigi,
Meas et omnium meruistis gratias!³

SCENA IX.

CONSTANS *solas.*

CONST. (*ad illos versus qui exeunt*):

Adhuc procedunt omnes res planissu-
[me ...

At unum restat ... Vadant usque ad
[exitum.

Ad tempus prorsus pervenerunt omnia;
Ita commodius praeter consilium.

Romani milites iugum Pontificis

¹ Mox ingressus.

² Ex improviso apparet.

³ Exeunt cum Pontifice.

15

Sibi excusserunt, prompti ut nihil su-
[pra ...

Meique fratres quos appellant Barba-
[ros,

Adstiterunt promptiores et alacres,
Darent ut internis amicis manus.

Quae lucta ad portum! quaeque per-
[nices!

Erunt et ampliae Romae mox divitiae,
Torques, armillae, matronarum pur-

[pura,
Quidquid superbius Romani conferunt!

Moror cur heic? Sentis armorum stre-
[pitus?

Pugnantium voces et exsultantium?

Ruit, ruit, suis Roma vulneribus!

Quid in mentem venit? Quid salus sug-
[gerit?

Quid inter gentium tumultum Pontifex
Meo confessus si periret gladio?

Casu quis sciret, cecidisse an crimen?

Nimis sed esset turpe sic extinguere
Virum, qui cunctos coronavit gratiis,

Suis et ulnis est amplexus Africos ...
At taceat improbus morbus conscien-

[tiae;

Est ipse noster inimicus maximus!

Viri peccatum deleatur ilico;

Immitis pereat Roma cum Pontifice,

Erunt et quotquot perditores Africae!

(Ad proximum numerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

C. DEL VE